

1463

*Tergestino-
rum cona-
tus.*

tu fuere, discordia inter Justinopolitanos & Tergestinos de
 vextigalibus & publicis viis orta: mox utrinque iræ post
 mutuas injurias eo usque exarfere, ut Patres majorem bel-
 li molem animo agitantes, in hanc quoque partem Rei-
 publicæ coacti sint imperii vires intendere. Sed res ipsa ut
 facilior sit cognitu, aliquanto altius est repetenda. Con-
 sueverant Germani negotiatores quinque passuum millia a
 Tergesti mœnibus recta Justinopolim & alias Histriæ urbes
 frequentare: quorum commercia, quum nihil ad suum
 usum attinere Tergestini cernerent, ferrentque id indigne,
 a Fœderico Imperatore, in cuius fide erant, per legates
 postulant, ut omnes Germani nominis negotiatores qui in
 Histriam transirent, per Tergestinam urbem iter facere ju-
 berentur, rati quod erat, fore ut brevi civitas mercatorum
 frequentia fieret totius Histriæ emporium: tum vero (quia
 Fœdericus illorum postulata non omnino rejecerat) nego-
 ciatores a veteri cursu in suam urbem hospitali benignita-
 te, aut si alia ratione non poterant, vi avertere cœperunt.
 Id Justinopolitani indigne ferentes, ad Principem & Se-
 natum mittunt, qui de Tergestinorum injuria questi, do-
 cerent omne Histricum nomen magno incommodo nova
 illa vicinorum insolentia affectumiri. Ea querela Patres
 commoti, jubent navigia aliquot circa Tergesti littora in-
 structa stationem habere, ac diligenter prospicere, ne quid
 commeatus mari in oppidum conveheretur. Quod ipsum
 quum æquo animo Tergestini laturi viderentur, constan-
 terque incommodum dissimularent, placuit, præsidio oppor-
 tunis locis disposito, a continentis ora præsentem ulcisci
 injuriam. Sanctes Gavardus, Justinopolitanus, cum aliquot
 equitibus missus est: qui illorum finibus, impetrato ad id
 a Goriciano Comite loco, infessis, negotiatores ad pristi-
 num iter frequentandum hortaretur: quos si, ut prius, a
 suo cursu Tergestini vi avertere conarentur, rem armis vin-
 dicaret. Ita igitur accidit, ut ex equitibus qui cum ne-
 gotiatoribus missi erant, unus, reliquis pulsis, subito Ter-
 gestinorum incursu fit cæsus. Ad quam novam injuriā
 Gavardus excitus, cum Histrianorum manu omnem Ter-
 gesti-